

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3231

Auteur(s) : Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Gautier Ier, Saint-Wandrille-Rançon, Saint-Wandrille (abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1140, 8 décembre

Action juridique : restitution

Langue du texte : latin

Analyse

Hugues, archevêque de Rouen, ayant obtenu de Guillaume Le clerc, fils d'Hellouin, les églises de Brionne (Saint-Martin, Notre-Dame, Saint-Denis), que celui-ci détenait par suite d'une usurpation héréditaire, les restitue à l'abbé Gautier. Celui-ci et ses successeurs, après avoir fait approuver par l'archidiacre et le doyen le choix des prêtres qu'ils auront mis à la tête de ces paroisses, les présenteront à l'archevêque qui leur donnera l'institution canonique.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Lot Ferdinand, *Études critiques sur l'abbaye de Saint-Wandrille*, Paris, Champion, 1913, n° 70, p. 124-125.

Texte établi d'après a

Hugo, Dei gratia Rothom. archiepiscopus, dilecto in Christo filio Waltero abbati S. Wand. et eius successoribus canonice sustituendis in perpetuum. Nostrum est ea qua possimus beniuolentia seruos Christi confouere et eorum utilitatibus inseruire, eos uero quam maxime tueri debemus quos relictis omnibus cenobiali obseruancia Christi seruicio vaccare uidemus. Eapropter ecclesias seu capellas de Briona, ecclesiam sancti Martini, ecclesiam sancte Marie, ecclesiam S. Dyon., cum omnibus ad eas iure pertinentibus, multis retroactis temporibus hereditaria depressione fatigatis, tandem nostro tempore, Deo auctore, liberas tibi et ecclesie S. Wand., cui abbatis uice presides canonice, contradimus possidendas. Siquidem Willelmus clericus, Herluini filius, prefatis ecclesiis incombebat sue hereditatis traductione maledicta ; sed sacrorum virtute canonum et Romanorum auctoritate pontificum anathematis mucrone confossus, gratia miserante superna, resipuit et presentibus ecclesie nostre personis, te quoque, fili, pariter assistente, ecclesias quas supra signauimus in manu nostra reddidit et penitendo super his que peruerse tenuerat absolui promeruit. Nos itaque, consilio fratrum et fidelium nostrorum, tuis et ecclesie tue usibus eas perpetuo possidendas donamus, saluo iure pontificali quod nemo fidelium usurpare presumit. Tibi quoque, fili Waltero, tuisque successoribus filiis nostris et obedientibus pia consideratione prerogamus quatinus presbyteros in ecclesiis illis parochialiter assignandos ecclesie Rothom. ordinatos et professos bone uite et testimonii viros, per archidiaconum et decanum nostrum approbatos, nobis nostrisque successoribus presentetis, quibus curam animarum canonice debeamus committere ad honorem Dei et salutem proximi que duo cura pastoralis specialiter attendit. Actum est hoc anno verbi incarnati M° C° XL°, papa romano Innoc. secundo, rege Francorum Ludouico, principante in Norm. rege Anglorum Stephano. Ego Hugo Rothom. archiepiscopus firmaui et subscripsi. Ego Johannes Sagiensis episcopus subscripsi. Ego Algarus Constansiensis episcopus subscripsi. Ego Willelmus Gemmeticensis abba subscripsi. Ego Walerannus decanus subscripsi. Ego Gaufridus archidiaconus subscripsi. Ego Hugo archidiaconus subscripsi. Ego Osnmudus archidiaconus subscripsi. Ego Robertus archidiaconus subscripsi.

Ego Fulbertus archidiaconus subscrispi. Ego Nicholaus sacrista subscrispi. Ego Laurentius magister scolarum subscrispi. Data per manum donni fratrum cancellarii, VI^o Idus decembris.